



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

13. de dignitate naturæ humanæ in Christo, ratione vnionis ad verbum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

honorabilior est, consequens erat & fœmi-
nei sexus liberatio.

DE PERFECTIONIBVS
naturæ humanæ in Christo
ratione vnionis ad
Verbum.

D I S T I N C T. Decimætertiaz
C A P. Primum.

*Christus ab instanti suæ conceptionis
fuit plenus gratia.*

1 P Ræterea sciendum est Christum sec. ho-
minem ab ipsa conceptione recepisse
gratiæ plenitudinem, cui Spiritus datus
est non ad mensuram, in quo plenitudo di-
uinitatis corporaliter habitat. Ita verò ha-
bitat (vt ait August. ad Dard.) quòd omni
2 gratia plenus est. non ita habitat in Sanctis,
vt in nostro capite inest sensus singulis mem-
bris, sed non quantum in capite. (Ibi enim
& visus est, & auditus, & gustus, & olfactus,
& tactus, in cæteris autem solus est tactus.)
Ita in Christo habitat omnis plenitudo di-
uinitatis, quia ille est caput, in quo sunt
omnes sensus. In Sanctis verò quasi solus est
tactus, quibus datus est Spiritus ad mensu-
ram, cum de illius plenitudine acceperunt.
Acceperunt autem de illius plenitudine, non
sec. essentiam, sed sec. similitudinem, quia

nunquam eandem illam essentialiter, sed similem acceperunt gratiam. Profecisse autem sapientia dicitur, non quidem in se, sed in aliis, qui de eius sapientia & gratia proficiebant, dum eis sapientiae & gratiae munera sec. processum aetatis magis ac magis patefaciebat, ut dicit Greg. ho. II.

in 2. c.
Lucæ

CAP. Secundum. In Christo fuit gemina sapientia.

It Ambro. lib. de Incarnat. Deus perfectionem suscepit humane nature, suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus. Sensu hominis dixit animam conturbatam, sensu hominis esuriuit & rogavit, sensu hominis profecit, sicut scriptum est, Iesus proficiebat aetate & sapientia & gratia. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Profectus aetatis & sapientiae, non divinae, sed humanae naturae est. & c. His evidenter traditur duos in Christo esse principales sensus, siue geminam sapientiam. Iuxta enim duas naturas duas habet sapientias: Vnam non creatam, sed genitam, quae ipse est: Alteram non genitam, sed creatam, & per gratiam ei collatam, de qua Esa. Requiescit super eum spiritus sapientiae & intellectus. & quia erat sapiens sec. animam, sec. Deum vero erat sapiens sapientia increata & aeterna, quae Deus est, & c.

to. 2.
cap. 7.

Matt. 23. 11.

Luc. 2.

cap. II.

*geminae principales
duos sensus.
sive sapientia
creata & genita.*

E P I T O M E

Sed ex qua causa illius dicti intelligentia, scil. sensus proficiebat humanus, assumenda est? Apertè enim videtur Ambr. innuere, q̄ sec. sensum humanum Christus profecerit: q̄ nec Ecclesia recipit, nec præmissa auctoritas patitur sic intelligi: Sed ita sanè potest accipi, vt quantum ad visum hominum, & sui sensus ostensionem Christus profecisse dicatur. Proficiebat ergo humanus sensus in eo sec. ostensionem, & aliorum hominum opinionem. Ita & illud Esa. quòd patrem ^{cap. 8.} nesciebat puer aut matrem, erit intelligendum: quia ita se habebat & gerebat, ac si agnitionis expers esset.

DE COMPARATIONE
Sapientia Christi ad sapien-
tiam Dei.

D I S T I N C T. Decimæ quartæ
CAP. Vnicum.

*Christus per sapientiam creatam omnia
cognoscit, sed non omnia per
eandem potest.*

Dona Spiritus sancti sine mensura habuit, ergo & sapientiam: omnia ergo sciuit anima illa. Si enim quædam sciuit, & quædam non, tunc non sine mensura scientiam habuit. sed sine mensura scientiam habuit, ergo omnia sciuit. Fulgen- ^{Ioh. 2.}